



fol. XII. n. 20.
1771, 2
10

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
NOVATIONIBUS.

QUAM
IUVANTE DEO OPT. MAX.
EX DECRETO ET AUCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQUA ELECTORALI UNIVERSITATE
ERFURTensi, NUNC INSTAURATA EMERICIANA
SINE PRAESIDE

PRO GRADU LICENTIATI
EIQUE ANNEXIS PRIVILEGIIS ET HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS

D. IX. SEPTEMBER. MDCCCLXXI.
IN AUDITORIO IURIDICO COLLEGII
ANSELMINI


PUBLICAE ERUDITORUM CENSURAE
OFFERT

A U C T O R
LUDOVICUS SATOR

ASCHAFFENBURGENSIS MOGONUS.

ERFORDIAE, AERE HENR. RVD. NONNII, ACAD. A TYPIS.





ILLUSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
FRIDERICO CAROLO
S. R. I. LIBERO BARONI
DE GROSCHLAG IN DIEBURG

DYNASTÆ IN MESSEL, SICKENHOFEN, HEGERSHAUSEN,
EPPERTSHAUSEN ET REYLACH, cet. REGII UNGARICI OR-
DINIS S. STEPHANI EQUITI PRIMAR. EMINENTISSIMI
AC CELSISSIMI ARCHIEPISCOPI AC PRINCIPIS ELECTO-
RIS MOGUNTINI STATUS ADMINISTRO ET IN CON-
SILIO SANCTIORI CONSILIARIO ACTUALI IN-
TIMO, SUPREMO AULÆ PRAEFECTO, NEG
NON PRAEFECTO IN GERNSHEIM ET
DIEBVRG, cet.

SCIENTIARUM QUAQUA PATENT BONARUMQUE
ARTIUM PROMOTORI ET PROTECTORI
MUNIFICENTISSIMO
DOMINO AC MAECENATI MEO
GRATIOSISSIMO

ILLUSTRISIME ATQUE EXCELLEN-
TISSIME LIBER BARO,
DOMINE AC MAECENAS INDUL-
GENTISSIME!

LEONARDUS
FRIEDRIGO GAVROLO
1581
GREGORIUS
MAGISTER

Mirificus ac plane singularis virtutum Tuarum
laudumque concentus ita TIBI, DOMINE
GRATIOSISSIME, omnium pectora conciliat at-
que devincit, ut TUAE in primis tutelae concre-
ditam

ditam suam salutem tutissimam esse existiment.
Tanta TIBI contigit nobilitas ac fortuna, quan-
tam ratione atque usu consecutus es eruditio-
nem, sapientiam, animi magnitudinem & ad
summa quaevis, praecipue vero ad ea, quae omni-
bus pro sint & quae EMINENTISSIMI ET CLE-
MENTISSIMI EMERICI tempora felicissima red-
dere queant, impetum.

Sed haec omnia potius tacita venerari men-
te, quam publice heic profiteri convenit, quum
TUA maxima in rempublicam merita, Tuaque
gloria tam late pateant, ut, ne quid iis percen-
fendis detractum videatur, verendum mihi sit.
Hinc venerabundus TIBIque devotus ea tantum
commemoro, quae me proprius tangunt, quae-
que ut TIBI, MUSAGETAE INDULGENTISSI-
MO, omnem meam felicitatem, omniaque mea
accepta debeam, efficiunt; nempe TUAM gra-
tiam ac commendationem maximam mihi utili-
tatem procurasse TUAMque mihi nunquam de-
fuisse tutelam ac sumnam clementiam.

) 3

Hac



Hac igitur fretus TUA me omnesque qui literas amant protegendi consuetudine, Academicum hoc meum specimen humillima mente TIBI, ILLUSTRISSIME MAECENAS, offerre sustineo. Votorum haec est meorum summa, ut TE, reipublicae columnen, Musarum praesidium, bonorum omnium solatium atque perfugium, sumnum Numen quam diutissime felicissimum summisque bonis cumulatissimum superesse jubeat, utque TUA nunquam non mihi frui gratia liceat, in qua maximam meam felicitatem ponere soleo

ILLUSTRISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI
TUI NOMINIS

DABAM IN EMERICIANA
D. IX. SEPTEMBER. MDCCCLXXI.

CULTOR HUMILLIMUS DEVOTISSIMUSQUE
LUDOVICUS SATOR.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE
C A N D I D A T O ,
H U J U S D I S S E R T A T I O N I S A U C T O R I ,

S. P. D.

HERMANNUS ERNESTUS RUMPEL,

J. U. D. ET P. P. O. CET.

Maxima cum voluptate animadvertere soleo Juvenes ex hac nostra Academia prodeentes, qui studiorum cursum ita sunt emensi; ut solida sua scientia, moribusque probis maximorum patriae bonorum spem praebant certissimam. In horum TE numero esse, Candidate Doctissime, tum pridem existimavi, Tuam fratribusque Tui aestuatisissimi intuens in lectionibus nostris industriam, tum hoc die evidentissime cognosco, quo cathedram concendis ac reprimendis adversariorum contra Dissertacionem tuam ratiociniis publicum edis ac omni exceptione majus tuae eruditionis documentum. Gratulor TIBI honores, qui labores Tuos hodie sequuntur, & qui in posterum sequentur, amplissimos. Nunquam TIBI deerit bene de aliis merendi occasio, nunquam vires deerunt, nunquam non fructus tuae scientiae colliges uberrimos. Ita aura secunda omnibus, quae agis, adspiret, ut vere intelligas, nunquam mercede sua virtutem carere. Vale meique absensis memoriam TIBI semper commendatam habe. Dab. d. IX, Sept, MDCCCLXXI.



MONSIEUR,

Que de plaisir pour moi de voir que Thémis rend aujourd'hui justice à un de ses favoris qui par des veilles & par des assiduités à ses devoirs s'est aquis de quoi être utile à sa patrie. Sensible aux applaudissements qu'on Vous donne de toutes parts je Vous en félicite d'autant plus que les douces lois de l'amitié qui m'engage à Vous m'autorisent à les partager avec Vous. Si les talens joints au mérite sont le chemin qui mène à la gloire, Vous pouvez Vous flatter Monsieur qu'il est ouvert pour Vous ce chemin brillant. Modeste comme je Vous connais Monsieur, Vous n'aurés pas plutôt lu cela que Vous me ferés entendre d'un air tant soit peu refrogné, que les louanges pour être véritables ne laissent pas de blesser la délicatesse d'amitié. Doucement Monsieur!


Une louange équitable
Dont l'honneur seul est le but
Du merite véritable
Est le plus juste tribut.

Conviendrait-il que l'amitié quelque délicate qu'elle soit Vous refusât ce tribut des plus justes? Reduit à supprimer la demangeaison que je me sens de m'amuser plus long temps à Vous écrire, je finis par Vous prier de m'accorder une place dans votre souvenir, & d'être persuadé qu'il n'y a personne avec plus de zèle que je le suis

MONSIEUR

Votre très-humble Serviteur

Chrétien Guillaume Wehrn.



DISSERTATIO INAUGURALIS
DE NOVATIONIBUS.

IN NOVA, FERT ANIMUS, MUTATAS DICERE FORMAS.

§. I.
EXORDIUM.

S Stoicis summa virtus in constantia posita esse videbatur 1) & hinc ICti Romani, quorum plerisque magnifica Stoae praecpta arridebant, justitiam esse constantem ac perpetuam voluntatem, jus suum cuique tribuendi, docebant. Stoici sapientem nihil opinari, nullius rei penitere, nulla in re falli, sententiam immutare nunquam & sic tam intellectum eius, quam voluntatem constantem esse dixerunt 2). Ita ergo illi suum sapientem finxerunt, ut nemo mortalium ad perfecti sapientis laudem adspirare possit, sed ideam quandam sapientis, ex variis hominum actionibus, quibus sapientiae quid inesset, perinde ac Venerem quandam Coam ex singulis pulchritudinibus per varia corpora dispersis, collectam & ad summum gradum evectam exprime-

A re

1) Arrian, ad Epictet, lib. I. cap. 29. 2) Cic, pro Muraena c. 29. & l. 4. de fin, B. & M. c. 27.



re voluerunt; ad quam quo quis proprius accederet, eo maiorem illum sapientiae laudem mereri. In praestantibus enim rebus magna sunt ea, quae sunt optimis proxima. Non scilicet quaerebant, quis sit, quis fuerit sapiens, sed quid sit illud, quo nihil possit esse praefantius, illudque ad ultimam sui generis formam speciemque seu ideam, quae sola ratione & intelligentia cerneretur, redigebant 1). Non igitur est mirandum, I Ctos Romanos, licet cum ftoa constantiae primas partes deferrent, ubi homines intuentur, non dicam tales, quorum ratio & voluntas ad virtutem est conformata, sed quales fors quotidie offert, statuere, ambulatoriam esse voluntatem hominum usque ad vitae supremum exitum 2).

Sed quae per se arbitrio hominum subsunt, firma fixaque sunt pactis & contractibus. Quousque voluntas nostra vel aliis non est declarata, vel a nobis tantum tanquam ab una parte est expōsa, vel alios plane non respicit, eousque illa nos aliis non obligat; at simulac promissi nostri facta est ab altero, ad quem illud spectabat, acceptatio, statim obligamur, nec nisi cōsentiente altero, hoc vinculum quo adstricti sumus dissolvere possumus. Interim quemadmodum duorum voluntas in eandem rem pacto firmandam cadere & consentire poterat; ita etiam ambulatoria duorum voluntas in eandem obligationem surrogandam incidere potest. Talis obligationum permutatio, qua nempe loco prioris perfectae alia firmatur obligatio, novatio dicitur; cuius naturam & jura inde promanantia nunc paullo adcuratius considerabimus.

§. II.

DEFINITIO NOVATIONIS SECUNDUM L. I. D. DE NOV.

Prolixiorem novationis definitionem exhibet ULPIANUS in l. 1. D. de novat. & deleg.: *Novatio est prioris debiti in aliā obligatiō-*

nem

1) Conf. praefat. Cic. Orator. 2) Vip, in l. 4. D. de adim. vel transf. legat.

nem vel civilem vel naturalem transfusio atque translatio; hoc est, quum ex praecedenti Causa ita nova constituatur, ut prior perimatur. Novatio enim a novo nomen accepit & a nova obligatione. & §. 1. eandem ita illustrat: Illud non interest, qualis processit obligatio: utrum naturalis, an civilis, an honoraria: & utrum verbis, an re & consensu qualisunque igitur obligatio sit, quae praecessit, novari verbis potest: dummodo sequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter: ut puta si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit. Verba haec: dummodo sequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter, ita sunt explicanda: dummodo posterior obligatio vincat priorem sive ipso jure, sive ex aequitate & per modum exceptionis. Mensura itaque obligationum est ineunda. Iure Romano obligations sunt vel naturales vel civiles vel mixtae; mere naturales dant alteri jus quidem defensivum s. exceptionem, non autem offensivum s. actionem; mere civiles dant actionem quidem, quae vero exceptione statim elidi potest; mixtae denique dant actionem & exceptionem: Mixta igitur reliquis est fortior, hanc sequitur, si ad effectum respiciamus, mere naturalis, hanc denique mere civilis. Inter plures obligationes ejusdem generis & valoris, sibi contrarias, illa vincit, quae est posterior. Ita Romani suis erant solennibus adstricti, ut tamen aequitatem naturalem non negligerent, sed eam semper fundamenti loco substernerent; recte Cicero enim aequitatem dixit justitiae maxime propriam i); & hinc licet strictum jus civile, quod non satis est determinatum, nec ad omnes casus admodum datum, saepe in regulas aequitatis impingeret, subvenit tamen auxilium practoris, qui semper id agebat, ut aequitatem naturalem suis edictis atque decretis tueretur, jusque rigidis atque incultis natum temporibus ad mollioris facili genium, cultioremque fanae rationis usum attemperaret. Quum igitur jus civile simul cum jure praetorio spectamus,

A 2

hic

i) De officiis, I, 19.



hic fuit, quem diximus obligationum ordo, haec major minorve
vis. Sic negotium dolo aut vi expressum licet stipulationis acce-
sisset solemnitas, tamen exceptione doli cet. subvertebatur. Sic ne-
gotium cui inerat aequitas naturalis, stipulatione firmatum, accepta-
tione ipso jure tollebatur, per pactum vero de non petendo per
modum exceptionis dissolvebatur 1).

§. III.

NOVATIO OLIM STIPULATIONE HODIE PACTO INITUR.

Ad tollendam ipso jure obligationem priorem jure civili va-
lidam, novamque ei substituendam stipulatio apud Romanos adhib-
enda fuit. 2) Quod vel exinde adparet, quia pactis non tolleba-
tur ipso jure obligatio, & quia stipulatio acceptique latio erant or-
dinarii firmandae ac dissolvendae obligationis modi. Iure tamen
singulari civilis furti vel iniuriarum obligatio & actio, quippe poe-
nam & vindictam privatam persecutus, cuius nullus in jure favor,
nudo pacto remitti potuit 3). Id autem per se intelligitur, obliga-
tionem ex nudo pacto ortam, quippe necdum jure summo validam
contrario pacto facilissime dissolvi potuisse, sicut & in contractibus,
qui solo perficiuntur consensu, hoc accidit, ut solo dissensu dissol-
vantur, & alius eiusdem generis contractus in locum prioris succe-
dat 4); quum omnia quae jure contrahuntur contrario jure per-
eant 5). Apud nos vero, penes quos nulla pacti & stipulationis
differentia supereft, quamlibet obligationem quavis conventione
tolli posse nemo dubitat. Imo CUIACIUS 6) ex l. 15. D. de rebus
cred. elicere voluit, ULPIANUM etiam nudo consensu factam nova-
tio-

1) §. 3. l. de except. l. 27. §. 2. de pactis. 2) d. §. 3. de excep. §.
2. l. quibus modis tollitur oblig. & l. 18. §. 1. D. de acceptilat.
3) l. 27. §. 2. D. de pact. l. 17. §. 1. eod. 4) l. 7. de pact.
l. 27. D. de contr. emt. 5) l. 100. de Reg. Iur. 6) in pa-
ratitl. ad tit. de novat. & deleg.



5

tionem validam pronunciasse, eamque ob rem merito ab Africano
1) reprehensum, quod vero vel ideo admittere non possumus, quum
Africanus, tempore longe prior ULPIANO, plane alium in quaestio-
nibus suis casum proposuerit, licet verba: *illud receptum est, & singula-
ria quadam recepta sunt, quae cuiacum seduxerunt, ad eandem*
rem pertinere videantur, & ipse ULPIANUS non dixerit nudo pacto
iniri novationem, sed ita: *Quum ex Caussa mandati pecuniam mihi
debeas, & convenerit, ut crediri nomine eam retineas.* Verbum enim
convenerit non in strictiori sensu de pacto nudo, sed in latiori su-
mendum est, quo etiam stipulationem denotat 2).

§. IV.

NOVATIO NECESSARIA.

Novae obligationis in locum prioris substitutio vel fit a lege
vel a partium arbitrio, illa novatio dicitur necessaria, haec vero vo-
luntaria. Quemadmodum prima obligatio vel libero partium ar-
bitrio est inita, vel quasi ex contractu, id est, ex dispositione legis
profecta, ita etiam novatio duplici modo fieri potest. Novatio
necessaria fit per judicij acceptiōnem, id est, litis contestationem 3); quamvis enim per litis contestationem prior obli-
gatio non penitus tollatur, non siccatur cursus usurarum non
solvantur pignora non hypothecae 4) non fidejussores 5), nec
privilegia pereant 6), [nisi sint personalia & cessionarius actionem
sibi cessām intētent 7]: nova tamen per litis contestationem obli-
gationi priori qualitas additur, & hinc litis contestatio eodem jure

A 3

nova-

- 1) l. 41. D. de novat. & deleg. 2) l. 1. §. 3. D. de pact. & cv-
tac. ad tit. de pact. pag. 7. 3) l. 11. §. 1. & l. 29. D. de no-
vat. l. 1. C. de jud. 4) l. 29. l. 35. D. de usur. 5) l.
11. pr. & §. 1. D. de pignerat. acq. 6) l. 29. 7) l. 42.
D. de adm. & peric. tut. arg. l. 68. D. de reg. Iur.



novatio dici potest, quo IUSTINIANUS 1) novationem dixit, *quid in posteriore stipulatione vel obligatione novi sit, forte si conditio aut dies aut fideiussor adiiciatur aut detrahatur.* Nova autem qualitas est, quod litis contestatione actio, quae morte aut tempore erat peritura, perpetetur 2). Ideo autem litis contestatio dicitur novatio, quod partes per eam judicis jurisdictioni se submittant, & dubiam suam caussam cognitioni & decisioni judicis relinquant suspenso interim utriusque jure, quod demum a judge per sententiam certum redditur. Hinc etiam litis contestatio inter quasi contractus refertur. Coepit per litis contestationem novatio perficitur ac consummatur per sententiam & rem judicatam; hinc res judicata etiam ad novationes necessarias refertur. Per rem judicatam quidem nihilominus quam per litis contestationem, solvuntur pignora & fideiussores 3), cuius rei rationem exponit MARCIANUS 4): *Etiam si creditor judicatum debitorem fecerit, hypotheca manet obligata; quia suas conditiones habet hypothecaria actio, id est, si soluta est pecunia, aut satisfactum est, quibus cessantibus tener. Etsi cum defensore in personam egero, licet is mihi satis dederit et damnatus sit, aequa hypotheca manet obligata; multo magis ergo si in personam alium sit, sive cum reo, sive cum fideiussore, sive cum utrisque pro parte; licet damnati sint, hypotheca manet obligata, nec per hoc videtur satisfactum creditor, quod habet judicati actionem.* Attamen & res judicata suam novam obligationi tribuit qualitatem; nova nempe nunc datur actio & exceptio rei judicatae, res enim judicata dat jus irrevocabile, quo absolute standum est 5), sicutur cursus usurarum ex ipsa principali obligatione, super-

1) §. 3. I. quibus modis tollitur obligat. 2) l. 139. pr. D. de R. I. §. 1. l. de perp. & temp. act. 3) l. 16. §. 5. D. de pign. l. 8. §. 3. & l. 41. §. 1. D. de fideiuss. l. 86. D. de R. I. 4) l. 13. §. 4. D. de pign. 5) BERLICH. p. 2. decif. 182, n. 3. BOEHMER consult. & decif. tom. I. resp. 13, n. 6.

super qua lis movebatur, debitarum & judicati tantum praestantur usurae centesimae 1), tutores qui antea erant in solidum obligati, nunc judicati & condemnati pro partibus virilibus tenentur 2) sententia enim ipso jure valida, quae in rem judicatam abiit, vi legis pollet, ac sub nullo praetextu litem resuscitari patitur, nisi urgentissima aequitatis ratio restitutionem in integrum dicit 3). Eodem jure transactio, quae, modo dolus absit, vim rei judicatae habet, ac paria cum re judicata jura producit 4), novationibus, licet non necessariis sed tamen voluntariis, quum nemo ordinarie ad transigendum vi compellatur, adnumerari potest. Denique jusjurandum quin fuerit delatum, acceptatum & praestitum est conventa litis decisio & vim rei judicatae habet 5) & proinde id quod jurejurando fuit confirmatum, tanquam ex transactione & re judicata & sic ex nova caussa debetur; quapropter tale jusjurandum recte novationibus accensetur; ex eo enim datur juranti actio atque exceptio, imo *caussa jurejurando ex consensu utriusque partis vel adversario inferente, delato & praestito vel remisso, decisio nec perjurii praetextu retractari potest, nisi specialiter hoc lege excipiatur 6)*. Excipitur autem siquis in processu criminali perjurii fuerit convictus, is enim laesum indemnem praestare tenetur 7). At jusjurandum delatum quidem (& acceptatum) nondum vero praestitum a defrente quocunque tempore & sine ulla limitatione, modo ante sententiam id fiat, revocari & ejus loco alia probatio offerri potest, ob IUSTINIANI constitutionem 8): *si quis sacramentum intulerit & hoc re-*

voca-

- 1) 1. vlt. pr. C. de usur. rei jud. BOEHMER Consult. & decis. tom I. responsi. § 45. n. 13.
- 2) 1. 2. C. si plur. una sentent. condemnat. finit. Wissenb. exerc. ad pand. disp. 38. n. 2.
- 3) vid. II. lustr. HELLFELD comp. pand. §. 1792.
- 4) 1. 10. C. de transact. 5) 1. 2. & 5. §. 2. D. de jurejur.
- 6) 1. 1. C. de reb. Cred. & jurejur.
- 7) 1. 13. C. de reb. Cred. C. C. art. 107.
- 8) 1. II. C. de reb. Cred.



vocare maluerit, licere quidem ei hoc facere & alias probationes, si voluerit, praeflare, ita tamen, ut huiusmodi licentia usque ad litis tantummodo terminum ei praefestetur. Post definitivam autem sententiam, quae provocatione suspensa non sit, vel quae postquam fuit adpellatum, corroborata fuerit, nullo modo revocare juramentum & iterum ad probacionem venire cuiquam concedimus, ne repetita lite finis negotii alterius caussae fiat exordium. Licet aliter sentiant BRUNNEMANN, DORNELLUS, BARTOLUS, RIVINUS, STRUVIUS, quos in viam reduxit LEYSERUS 1).

§. V.

NOVATIO VOLUNTARIA ANIMUM NOVANDI EXPRESSUM
REQUIRIT.

Novatio voluntaria aequa ac pactum & contractus libero nititur consensu. Consensus aut est verus isque vel expressus vel tacitus, aut fictus seu praesumptus. In novatione non modo requiriatur consensus in novum negotium, sed etiam novandi animus seu ut nova obligatione prior perimitur. Hac autem in re inter Jus vetus & novum quaedam intercedit differentia, quam ipse IUSTINIANUS exponit 2): sed quum hoc quidem inter veteres constabat, tunc fieri novationem, quum novandi animo in secundam obligationem itum fuerat, per hoc autem dubium erat, quando novandi animo videretur hoc fieri, & quasdam de hoc praesumptiones alii in aliis casibus introducebant, ideo nostra processit constitutio 3) quae apertissime definivit, tunc solum novationem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipsum inter contrahentes expressum fuerit, quod propter novationem prioris obligationis convenerunt: alioquin & manere pristinam obligationem & secundam ei accedere, ut maneat ex utraque caussa obligatio. Olim nempe ex praesumptionibus quibuscumque & coniecturis etiam levioribus no-


1) Med. ad P. spec. 138. med. 1, 2. 2) §. 3. I. quibus mod. toll. obl. 3) quae existat in 1. ult. C, de novat.

vatio colligebatur, IUSTINIANUS autem novandi animum expresse declarari jussit, novaeque suae constitutioni quaedam ICtorum responsa in Pandectis per interpolationem adcommodavit 1). Utrum hoc jus novum stricte nos obliget, an in illis casibus, quibus olim ipso jure siebat novatio, hodie saltem ope exceptionis novatio facta esse intelligatur, inter Doctores non convenit 2). GLOSSA 3), BARTOLUS, BALDUS & plures alii posteriorem fovent sententiam, ita ut haec communis opinio esse videatur. SCHILTERO 4) illorum placet sententia, qui non modo verbis ipsis quod tamen ut plurimum sit, sed etiam facto ipso novationem hodie fieri putant. Neque obsunt verba IUSTINIANI; & generaliter definimus voluntate solum esse, non lege, novandum, quaeque haud temere corrigenda. Res enim expeditu facilis, ait; lege non esse amplius novandum, hoc est, ex praesumptionibus & conjecturis legis, nullo accidente certo aliquo facto vel verbis novantium, ut si veteri obligationi nova persona adjiceretur, aut aliquid ex ea detrahatur, unde olim lege novatio siebat, seu praesumptione juris, quam heic Imperator tollit. Ait voluntate novandum esse non omni, sed specialiter expressa, regulariter verbis, potest tamen & facto exprimi certo, non quovis facto, sed priori obligationi contrario & tali ex quo regulariter novatio argui potest. Eandem sententiam amplectitur LEYSER 5) qui: illa specialis, inquit, remissio non verbis saltem, sed ut in omnibus omnino negotiis etiam factis fieri potest, quemadmodum recte observat SCHILTER; Omnes quippe conventiones etiam tacite valere & recta ratio dictat, & PAULLUS in l. 4. pr. de partis ait. Nec aduersatur IUSTINIANUS quippe qui in saepe d. l. ult, C. de novat. ad voluntate

B


lun-

1) l. 58. fin. D. de V. O. l. 29. in med. l. 31. §. 1. post med. D. de novat. 2) quos enumerat Ill. WALCH Introduc. in controvers. Iur. civ. sect. 3. c. 8. §. 7. Francf. & Lips. 1771. 8. 3) ad l. 2. D. de novat. 4) exercit. ad Pand. 9. §. 23. 5) med. ad P. Spec. §26. med. 6.



tentatem novandi respici juhet; at voluntas haec verbis factisve exprimitur, nihil interest. Imo ipse GAIUS 1), qui tamen contrariae sententiae patronus allegatur, hanc suae regulae adjicit restrictionem: nisi adeo sint verisimiles & urgentes conjecturae, ut ex iis perspicuum esse possit, a prima obligatione partes recedere, & illam in secundam transfundere voluisse; talibus enim verisimilibus conjecturis satissit d. l. f. C. de novat. per regulam, quod tacitum idem operetur, quod expressum, quo pertinet, quod probatio manifesta dicatur 2) quae per manifestas conjecturas colligitur. Eo res rediit, ut nimia Doctores sentiendi libertate jus certum maxime incertum reddiderint, hi enim vel critica falce membra apte eleganterque cohaerentia, quae ipsis manca distortaque videbantur, refecarunt, vel quadam aequitatis ratione menti impressa seducti Praetores vitio creati, ea statuerunt, quae juri scripto certo & claro e diametro repugnarent. Quid igitur deseramus IUSTINIANVM, incertasque conjecturas denuo in foro intrudamus, quas l. ult. C. de novat. ex iis proscripsit. Ius certum nullum desiderat interpretem; cum IUSTINIANO igitur statuamus, tum demum fieri novationem, quum pacientes animum novandi expresse declaraverint, animo novandi autem non expresso, utramque obligationem, tam priorem quam posteriorem simul subsistere. Huic regulae unicam subjungimus exceptionem, quae ex ipsa re fluit, quam sana dictat ratio, quam non modo, quos allegavimus, sed etiam quos alios consuluiimus 3) Interpretes agnoverunt, & quam ipse sine dubio IUSTINIANUS agnoverisset, nempe nisi posterior obligatio cum priore simul consistere nequeat; ~~accusat~~ enim ne cogitari quidem possunt, quale exemplum habemus in trans-

1) Praet. observ. 2. obs. 30. 2) l. 74. D. de legat. r. 3) ME-
 NOCH. de praesumt. lib. 3. praesumt. 134. num. 39. seqq. MAS-
 CARD. de probation. conclus. 1113. num. 23. VOET. Comment.
 ad Pand. tit. de novat. n. 3.



transactione aliisque negotiis, quae cum prioribus plane non con-
gruent, in quibus igitur animus novandi manifestissime deprehen-
ditur.

§. VI.

POENAE ADICTIONE NON FIT NOVATIO.

Poena conventionalis nonnunquam obligationi principali ad-
jici potest, vel statim ab initio, vel interjecto quodam temporis in-
tervallo; in utroque casu poena firmandae magis quam tollendae
obligationis causa additur, quod tum in primis opportune fieri so-
let, si facta fuerint in stipulatum deducta, ne quantitas stipulationis
in incerto sit 1). Ac proinde haec poenae adjectio nec jure vete-
ri nec novo novatio dici potest 2). Creditor enim nunc tantum
liberatur difficultate id probandi, quod sua interest, factum suo
tempore, quod erat promissum, non autem ei agendi, si velit, ex
principali obligatione facultas adimitur. Hinc creditori licet, an-
tequam poenam petat, ex obligatione principali agere; imo qui
poenam jam est consecutus recte adhuc petet, quod pluris sua in-
terest, obligationem principalem esse adimpleret 3). Ceterum
quum heic adlit obligatio alternativa conditionata, alterum tantum
aut res ipsa, aut poena peti potest 4). Nisi coercendo contemui
poena adjecta sit, vel conventioni clausula adjecta *rato manente pacto*,
quo casu tam res ipsa quam poena peti poterit 5). Id autem hoc
ioco notandum poenam conventionalem stipulationi quantitatis ad-
iectam, si legitimum usurarum modum excedit, *tangam usurariam*
gravitatem a Llibus damnari 6). Scrupulum movere potest PAYL-

B. 2 LUS

1) §. ult. I. de V. O. 2) d. l. 10. §. I. de paet. l. 115. pr. l.
122. §. 2. D. de V. O. l. 71. D. pro soc. 3) l. 28. D. de
paet. emt. 4) l. 4. §. 7. D. de dol. mal. exc. 5) l. 30. D.
de recept. l. 16. D. de transact. 6) l. 44. D. de usur. l. 15. C.
cod.



LUS 1); qui; sed si navem; inquit, stipulatus sum, & si non feceris, centum: videndum utrum duae stipulationes sint, pura & conditionalis, & existens sequentis conditio non tollat priorem, an vero transferat inse, & quasi novatio prioris fiat, quod magis verum. Sed ipse PAUL-LUS vocula quasi vtitur, eaque non propriam sed impropriam novationem denotat, quum nempe creditor non possit simul rem quae principaliter in obligatione est, vel id quod interest, & poenam petere, sed poena prius petita, ut diximus, in sequentem ejus, quod interest petitionem imputetur, si forte in poena minus sit, quam in eo, quanti interest, principalem obligationem esse adimplerat. Id quod in l. 1. D. de poena legata proponitur, nec ad poenas conventionales neque ad novationes pertinet: *Vxori suae in annos singulos penoris aliquid heres dare jussus est, si non dedisset, numos dare damnatus est.* Ibi enim nulla adest conventio, non actus inter vi-vos, sed legatum poenae, quod genus legatorum IUSTINIANUS 2) ad jura legatorum conditionalium recte reduxit 3).

S. VII.

CONVENTIO QUA USURAE ADDUNTUR NON EST NOVATIO.

Pactum de usuris praestandis nihil aliud est, quam accessorum obligationis principalis; ubi igitur antea erat debitum sine obligatione usurarum praestandardarum, cui nunc adjicetur haec obligatio, vel tibi usurae antea promissae minores ad majorem quantitatem evehuntur, haec non est prioris obligationis resolutio novaeque substitutio sed accidentalis tantum qualitatis mutatio, quam nec LLs pro novatione agnoscunt, quod adparet, si l. 29. D. de nov.

&

1) l. 44. §. 6. de obl. & act. 2) §. ult. l. de legat. 3) de legatis poenae vid. commentatio BYNKERSHOEKII, in opusculis, & ill. AYER in diff. de emendatione definitionis legalis legatorum poenae nomine Gotting. 1742, ill. TÜTTMANN Interpret, & obs. Cap. 6. n. 4.

& I. 44. §. 1. D. de admin. & peric. tut. inter se contendamus. Nam in I. 29. novatione voluntaria, *perire privilegium tutelae dicitur, si post pubertatem tutelae actio movetur*, at per I. 44. *si pupillus post pubertatem rationibus a tute acceptis, reliquationem ejus secutus usuras acceptaverit, privilegium suum non amittit in bonis tutoris venditis*; prono hinc alveo fluit, novationem illa usurarum acceptatione non esse factam, quamvis ratio in hac lege 44. statim adjecta: *praetor enim privilegium ei servare debet, docere videatur, hoc non ipso jure ita olim fuisse, sed a Praetoris profectum esse auxilio.* Qui dicunt, pactum de usuris, vel de usuris majoribus, praestans ei, quod antea actum est, repugnare, nihil ajunt; verum quidem est, non posse usuras majores minoresque simul subsistere, atamen posterioribus majoribus priores minores tanquam pars toto comprehenduntur 1); quis igitur haec sibi repugnare dixerit? objicitur sententiae nostrae I. 24. §. 2. D. de rebus auct. jud. poss. 2): *In bonis mensulari vendundis post privilegia potiorem eorum causam esse placuit, qui pecunia apud mensam, fidem publicam secuti deposuerunt, sed enim qui depositis nummis usuras a mensulariis acceperunt, a ceteris creditoribus non separantur, & merito, aliud enim est credere aliud deponere.* Sed haec lex nos non ferit; nos loquimur de eo negotio, quod ab initio fuit statim mutuum, lex ponit ab initio depositam apud argentarium ejusque fidei, quae maxima putabatur 3), traditam pecuniam; quae vero deinceps acceptis usuris in mutuum fuit conversa. Hic vere novatio contigit, aliud enim est credere aliud deponere, & utrumque negotium simul subsistere nequit, hinc etiam negotium, ubi dubium est, an pecunia custodienda so-

B 3

lum

- 1) I. 1. §. 4. D. de V. O. & ad eam Cujac. 2) idem disponit I. 7. §. 2. D. depositi. 3) de argentariis elegans exstat dissert. HERMAN. HUBERT, quae inserta est OELRICHS thesauro dissert. jurid. selectissi, vol. 2, tom. I, n. 1, 2,



lum an & utenda alteri sit tradita, si nempe non sit obsignata, depositum irregulare dicitur, quod tamdiu manet depositum, donec alter pecunia uti incipit, ubi statim incipit esse mutuum.

§. VIII.

CONVENTIO DE ALIA RE IN SOLUTUM DANDA, PER SE NON EST NOVATIO.

Solvere est id actu praestare, quod erat in obligatione 1). In iis obligationibus quae sunt certae ac determinatae non aliud pro alio praestari potest, nisi culpa debitoris id, quod praestari debebat, naturaliter praestari non possit, vel nisi inter pacientes deinceps convenerit, ut aliud sit in solutione, quam fuerat in obligatione; in hoc posteriori casu siquidem inter contrahentes id actum fuerit expresse, ut novatio intercedat, res dubio caret, at si id expresse non fuerit actum, salva manet prior obligatio, salva negotii, quod ab initio agebatur, natura. Sic e. g. *pretii causa non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus in solutum consentienti datis, contractus emtionis non constituitur irritus* 2), sed potius eo ipso est consummatus. Idem confirmat l. 26. §. 4. D. de condic. indebiti: *Si centum debens, quasi ducenta deberem, fundum ducentorum solvi, competere repetitionem* Marcellus lib. 20. Digestorum scribit, & centum manere stipulationem; licet enim placuit, rem pro pecunia solutam parere liberationem; tamen si ex falsa debiti quantitate majoris pretii res soluta est, non sit confusio partis rei cum pecunia, nemo enim invitus compellitur ad communionem; sed & condicō integræ rei manet, & obligatio incorrupta, ager autem retinebitur. Concurrit hic cum datione in solutum indebiti solutio, & ager in solutum datus non commode divisibilis, hinc quia nemo invitus compellitur ad com-

1) l. 176. D. de V. S. l. 49. 52. D. de solut.

2) l. 9. C. de re-

scind. vend.



15

munionem, revocatur datio in solutum, & obligatio primaria *in-*
corrupta manet.

§. IX.

NEC EST NOVATIO SI CREDITOR DEBITORI TERMINVM SOLVTIONIS
PROROGAVERIT, NEC SI PROTESTATIO DE NON NOVANDO
INTERCESSERIT, AVT POSTERIOR OBLIGATIO
SIT NVLLA.

Si creditor debitori suo terminum quo solutio fieri debebat, (non ad quem durare debebat obligatio) prorogaverit inscio aut invito fidejussore, simpliciter & non in certum tempus obligato, haec non est novatio, ac proinde fidejussor hac prorogatione non liberatur sed aequo elapso illo termino, ac ante tenetur 1). Quemadmodum nec fidejussori, qui exceptioni ordinis renunciavit, prodest indultum moratorium a Principe debitori principalis concessum, sed eo durante poterit conveniri, salvo regressu, elapso moratorio, contra debitorem principalem 2). At si ex dilatatione solutionis, a creditore, invito fidejussore, debitori concessa obligatio creverit, intuitu hujus augmenti fidejussor non erit obligatus, nisi in omnem caussam fidem suam interposuerit, aut praesumptione juris, interpoluisse videatur, ut e. g. fidejussor pupillo datus 3). Si vero fidejussor statim ab initio se ad certum tempus e. g. ad biennium obligavit, & hujus temporis prorogationem, invito fidejussore, creditor debitori concessit, fecus est 4), tunc enim fidejussor creditorem pacti conventi vel doli mali exceptione submovere potest 5). Breuiter rem GAILLUS exprimit 6): *prorogationem termini liberare fide-*
jus-

1) GAILL. pract. obser. 2. obs. 30. WISSENACH ad Pand. disp. 27.
n. 25. VOET ad Pand. tit. de novat. n. 6. 2) VOET ad tit. de
cess. bon. n. 19. 3) id. ad tit. de fidejuss. n. 13. 4) l. 7. C.
de locato l. 13. §. II. D. eod. 5) l. 44. D. de O. & A. wis-
senach. l. c. 6) l. c.



*jussorem quando tempus adjectum fuit causa limitandae obligationis, se-
cus si tempus solummodo solutionis adjectum sit.* Denique novatio non
sit, si partes expresse dicant, se novare nolle, modo vtraque obliga-
tio simul consistere queat, & protestatio non sit facto contraria, nec
in fraudem tertii simulata; quemadmodum enim expressus novan-
di animus efficit, ita expressa protestatio impedit novationem. Nec
est novatio, si obligatio, qua in locum prioris succedere debebat,
sit ipso jure nulla 1), aut si posterior obligatio sit sub conditione
inita & conditio defecerit, in utroque enim casu prior obligatio
cum suis accessionibus salva relinquitur 2).

§. X.

ELEMENTA NOVATIONIS.

Ex his quae hactenus disputavimus facile eruere possumus no-
vationis elementa. Obligationis cujuscunque, qua aliis obstringi-
munt elementa sunt creditor, debitor, objectum debitum, causa de-
bendi, modus, tempus, locus & omnis conditio, qua implementum
fieri debet, accidunt cautiones & pœnae. Obligatio per novatio-
nem introducta unum alterumve vel omnia ea elementa, quae in
priori continebantur obligatione immutat, & tum quidem, quum
expresse id partes egerint, ut a priori discedatur obligatione, nova-
tio adest. Sed rem sigillatim consideremus. *Creditor* sine no-
vatione mutari solet, sive enim quis succedat in locum creditoris jure
hereditario, sive per actum inter vivos nempe per cessionem, in
utroque casu creditor *novus* cum priori unam personam exhibet 3)
& sic ea non tam novatio est quam prioris obligationis continuatio,
hinc in locum cedentis cessionarius subit, & idem jus, quod ceden-
tis erat, cum omni causa & accessionibus consequitur, jure etiam
cedentis, non proprio privilegio, agit, tanquam procurator in rem
suam

1) §. 3. I. quib. mod. toll. obl. l. 24. D. de novat. 2) l. 14. D.
cod. & all. §. 3. I. 3) l. 5. C. de hered. vel aet. vend,

suam 1) & ei proinde eadem quae cedenti exceptiones opponi possunt²⁾. Iure tamen novo cessionarius in instituenda actione non praeceps cedentis nomine uti tenetur, sed potest etiam proprio nomine actione utili experiri 3). Quum *debitor* novus in locum prioris succedit, haec vera novatio est, & in specie appellatur *delegatio*, quae est actus, quo *vice sua* *alius reus* datur *creditori*, *vel cui iussit*, *et que sit etiam vel per stipulationem vel per litis contestationem* 4). Dif- fert autem delegatio ab assignatione, quae est mandatum creditor i nostro datum, ut nostrum debitum exigat, sibique inde satisfaciat. Nos in praesentia delegationem, quae in Legibus & ab Interpretibus simul cum novatione tractari solet, mittimus, & ea, quae ad novationem pertinent, enucleare pergimus. Mutato *objeto debito* quo- ad obligationem principalem animoque novandi expresse declarato omnino novatio intervenisse dicenda est; aliud obtainere diximus §. 8. alio *objeto* tantum in solutum dato. *Causa debendi* mutata in primis novationi locum facit, ut si rem tibi meam vendiderim, prae- sensque pactus sim pretium, *vel fidem de pretio* habuerim, nunc mutato consilio mutui formam dem tuae obligationi, tuo consensu interposito. Quum ita ex uno genere contractuum ad aliud genus transimus, ut utraque obligatio simul consistere nequeat, non potest non evenisse novatio. Quod denique ad *modum, tempus, locum conditionem implementi secuturi, pignora, fidejussiones alias re cautions & penas* attinet, potest omnino in his salva manente obligatione principali aliiquid mutari, ita ut novatio in hisce casibus non aliter, quam ex- pressa mentis significatione accedat.

C

§. XI.

- 1) l. 4. pr. D. de re jud. 2) l. 4. §. 24. D. de doli & met. except.
LEXER spec. 201. med. 5. 3) l. 7. 8. C. de hered. vel act. vend.
4) l. 11. D. de nov.



S. XI. bess pinterq; is si mudi
QUIS NOVARE POSSIT; AN PROCURATOR; AN PUPILLUS SINE TUTORI?

Illi novationem possunt inire, qui de jure suo possunt disponere, qui jura sua alienare, obligationesque in se suscipere possunt. Hinc procurator nisi sit speciali mandato instrutus, aut nisi sit omnium bonorum novare nequit 1); bene tamen procurator in rem suam. Eodem modo tutores & curatores pro suis pupillis, minoribus aut furiosis, si his id expediat, novare nullo jure prohibentur 2). Pupillus sine tutoris auctoritate contrahens non obligatur, nisi in quantum inde factus est locupletior 3); sed si pubertati proximus intelligat quid geratur, naturaliter saltem obligatur 4); hinc si pupillus novandi animo id quod alter debet expromittendo in se receperit, prior alterius obligatio tollitur, & nova pupilli obligatio naturalis succedit, ac proinde novatio vere peracta est, quum ad novationem hoc sufficiat, ut posterior obligatio saltem naturaliter teneat 5). At si vim hujus novae obligationis respiciamus, novatio utique claudicat, habet effectum liberationis a parte prioris debitoris, novi debitoris autem, pupilli nempe, obligatio creditori est inutilis, nullamque ei porrigit actionem, imo nequidem jus compensandi, solutique retinendi adversus pupillum operatur, qui tamen solent esse effectus obligationis naturalis 6). Si pupillus alium habet obligatum, & cum eo vult novationem sine tutorie inire, nihil agit, quia facile fieri potest, ut hac re deteriorem suam condicionem reddat, & de hoc casu loquitur PAULUS 7). At interventu pupilli sine tutorie novatio intuitu pupilli ipsius obligatoria fieri potest, si nempe ex utilitate pupilli novatio fiat, ut si pro eo interve-

niat,

1) l. 20. §. 1. D. de novat. 2) ead. l. 20. 3) l. 5. §. 9. D. de auft.

tut. 4) l. 25. §. 1. D. quando dies legator. l. 95. §. 2. D. de

solut. 5) l. 1. pr. & §. 1. D. de novat. 6) VENNUS ad §. 3. I.

quibus modis toll. obl. & ad §. 9. I. de inut. stipul. 7) l. 20.
§. 1. D. de novat.

niat, cui ipse tantum pecuniae debet 1). Ita etiam valet novatio, quam quis adultus iniit super jure inde a tempore impubertatis quaeſito, e. g. si quis adultus cum fidejussoribus tutorum suorum novationem contraxit. Fidejussores plures dati olim in solidum tenebantur, at epiftola Hadriani & edictum praetoris eis dedit exceptionem, qua eorum obligatio pro rata dividitur 2); in fidejussoribus autem tutorum ob pupillorum favorem antiquum Jus retentum fuit, *pupillo enim agente, qui non ipse contraxit, sed in tutorem incidit & ignorat omnia beneficium dividendae actionis injuriam habere risum est, ne ex una tutelae cauſa plures ac variae quæſtiones apud diuersos iudices conſtituerentur 3).* Jam si fidejussores tutorum, cum adolescentiſe ſint pacti, ut tuores adolescentes anteā conueniret, adiecta stipulatione, ſe reddituros, quod ab eo ſervari non potuſſet, hoc in caſu de reſiduo quod ab adolescentiſe ſervari non potuit, quaeritur, an ſinguli fidejussores in solidum adhuc teneantur? Negat PAPINIANUS 4): *placuit inter eos fidejussores, qui ſolvendo eſſent, actionem reſidui diuidi.* Rationem addit: *quod onus fideiujſorum, obligatio in solidum per ſubsequentem conventionem ſuceptum videretur h. e. elevatum & ſublatum; praefumitur ſcilicet adultus hac conventione jus ſuum fidejussores ſingulos in solidum ante tutores conueniendi remiſſiſe.* Quamvis enim expreſſa tantum mentio facta ordinis conueniendi, quim tamen illud jus ſit individuum praefumitur ſimil remiſſiſe obligationem in solidum 5). Recte BRUNNEMANN 6) dubitat an haec PAPINIANI deciſio jure novo adhuc valeat, *ſed niſi fallor, inquiens, haec exceptio nititur novatione, quod novavit adolescentis actionem per stipulationem interpoſitam.* Sed quia jure novo non inducitur novatio, niſi hoc exprimatur, non puto hanc

C 2 legem

1) CVTAC. comim. ad I. 30. de paſtis, p. 58. 2) PAUL. rec. ſent. I. 20. §. 4. I. de fidej. 3) I. 12. D. rem pup. ſalv. 4) I. 7. D. de fidejuss. & nomin. 5) ita hanc I. 7. illuſtrat & circumſcribit SCHILTER ex. ad Pand. 37. §. 189. 6) Comment. ad h. l. 7.

legem valueram; & adolescentis gratificaturus fidejussoribus non videtur renunciare juri suo, quod habet contra fidejussores. Evidem PAULLUS ait, perire privilegium tutelae si post pubertatem tutelae actio moveatur 1), & Papiniani aeo hoc pactum adolescentis novationem ipso jure involvere videbatur, at Iure novo expressa animi significazione opus omnino est. §. XII.

AN UNUS EX CORREIS STIPULANDI?

PAULLUS 2): cui recte solvitur, inquit, is etiam novare potest; sed statim regulam suam nimis late propositam restringit: excepto eo, si mihi aut Titio stipulatus sim, nam Titius novare non potest, licet ei recte solvatur. Idem ait PAULLUS in l. 27. pr. D. de paet. Idemque agnoscunt Basilica 3). PAULLUS in l. 27, ita ratiocinatur; quod juris est argentariis sociis, idem quoque in duobus reis stipulandi. Iam ex argentariis sociis unus non potest novare, quamvis ei recte solvatur, tantum enim constitutum est ut solidum alter petere possit; Ideo novare alter non potest 4). Iura correalis obligationis tam inter correos stipulandi quam debendi olim erant strictissima 5), hinc jure solidum petendi jus novandi non comprehen-debatur. CUIACIUS autem aliam sententiam, dicit unum ex correis stipulandi pacisci non posse novare autem posse 6): Padum unius ex reis stipulandi vel argentariis alteri non nocet si socii non sint, sed & si socii sint, placet non nocere. Hoc enim tantum habent, ut possint solidum petere, solidum accipere. Nec licet nobis statim ita argumentari: uni ex argentariis solidum solvi potest, ergo & pacisci unus potest de solido; tantum enim abest, ut valeat argumentum a solutione ad novationem certasque liberationes legitimas; nam interdum is, cui solvi potest, novare adeo pacisci non potest, ut adjectus solutionis gratia, is cui debitorem meum

jussi
1) l. 29. D. de nov. 2) l. 10. D. eod. 3) lib. 26. n. 10. 25. &

31. tom. 4. pag. 129. seq. edit. Fabrotti. 4) WISSENSE. diff. ad

P. 28. n. 10. 5) GRAAFLAND ad l. 47. D. locat. cap. 1. §. 8. 9.

10. in OELRICHS thesauro diff. vol. 1. tom. 3. pag. 175. seq. 6)

ad l. 27. de paet.

suff solvere, is qui est in mea potestate. Ceterum unus ex reis stipulandi novare potest, itemque jurisandum deferre. Facilius is, cui solvi potest, novat, quippe cum novatio sit legitimus modus tollendae obligationis, qui solutionis vicem obtinet.
 CUIACIUS tamen postea mentem suam mutavit, & in PAULLI discessit partes 1), simul tamen VENULEII 2) commendavit sententiam, qui magno conatu id egit, ut probaret, etiam ab uno ex reis stipulandi novationem fieri posse. Cauta quidem VENULEIUS rationes suas subducit, ne a Proculianis & magni nominis Ictis temere discedere videatur. Primo loco ponit id, in quo omnes consentiunt, *uni ex reis stipulandi recte solvi, unum recte solidum judicio petere, unius acceptitatione perimiri reliquorum obligationem.* Inde colligit unumquemque fere perinde sibi acquisisse obligationem, ac si solus stipulatus esset, excepto eo, quod etiam facta ejus, cum quo commune ius stipulatus est, amittere debitorem potest. Secundum quae si unus ab aliquo stipuletur, novatione quoque eum liberare ab altero poterit, quum id specialiter agit (quod a TRIBONIANO est adjectum); eo magis, quum eam stipulationem similem esse solutioni existimemus. His denique annexit quasdam species, ex quibus adpareat, quam sit incongruum novationem ab uno ex reis stipulandi factam non admittere: *Alioquin quid dicemus, si unus delegaverit creditori suo communem debitorem, isque ab eo stipulatus fuerit? aut mulier fundum iussit duci promittere viro vel ruptura ipsi duci eum promiserit; nam debitor ab utroquo liberabitur.* Tot igitur rationes VENULEII etiam CUIACIUM in has partes ire compulerunt, cui nos eo libentiores adstipulamus, quo certius est, nos hodie priscis illis stipulationum subtilitatibus non amplius adstringi, & quum contentaneum sit, eum qui majus potest, nempe obligationem per acceptitationem plane perimere, etiam minus, nempe obligationem illam in aliam transformare posse.

1) Observ. lib. 22. cap. 6. 2) l. 31, §. 1. D. de novat,



§. XIII.

NOVATIO CONDITIONALIS.

In novatione obligatio prior potest esse vel pura vel conditionalis, modo conditio, qua forte prior suspenditur obligatio postea existat, quo casu prior illa obligatio uno eodemque temporis momento nascitur & exspirat 1). Pari modo & posterior obligatio potest esse conditionalis, ac tunc ab implemento conditionis pendet novatio, imo etiam si conditio postea existat, insuper requiritur, ut res ex priori obligatione debita existentis conditionis momento adhuc sit in rerum natura, & persona, quae obligari possit, adpareat. Proinde si pendente conditione res sine culpa novantis debitoris interierit, vel debitor novans deportatus fuerit, nulla est novatio 2). Inter se pugnare videntur I. 72. §. 1. D. de solution. & I. 31. pr. D. de novat. species in utraque lege proposita haec est: Promittis mihi hominem pure, in praefando moram committis, ad moram purgandam eundem mihi hominem promittis, at sub conditione, pendente conditione homo moritur, demum conditio existat; quaeritur an novatio sit facta? In lege 31. respondetur: *quum jam ex stipulatu obligatus es mihi, novatio quoque fiet.* At in lege 72. dicitur: *novari prior obligatio non potest.* Facile autem haec dirimi pugna potest: Duplici respectu quaeri potest an novatio sit perfecta; primo eo sensu, an per alteram stipulationem prior obligatio praesertim quoad effectum morae sit perempta, hoc utraque lex concedit, nam quia post moram in praefando factam idem homo iterum in conditionalem obligationem (novandi animo) deductus est, mora purgata est, nec intelligitur in sequentem obligationem devoluta, & hoc sensu I. 31. ait novationem esse factam. Altero sensu quaeri potest, an posterior obligatio sit perfecta, quod recte I. 72. negat

1) I. 5. l. 8. §. 1. l. 14. §. 1. D. de novat. 2) I. 14. pr. & §. 1. l. 31. D. de nov. voet, ad Pand. h. t. n. 7.



gat ex ea ratione quam supra attulimus, & quae etiam in l. 31. expressa legitur: *si rem aliquando dari stipulatus sum, deinde eandem sub conditione, novandi animo, ab eodem stipuler, manere oportet rem in rebus humanis, ut novationi locus sit 1).* CUIACIUS 2) quidem legem 72. recte explicat; at in explicanda l. 31. paullum a via deflexit, statuit enim hac lege *promissorem teneri ex posteriori stipulatione conditionali, quasi novatione contingente post mortem Stichi, si conditio exstiterit, ut vel Stichi aestimationem praefaset, quanti priusquam moreretur fuit.* Eodem modo SCHILTER 3) qui genuinam legis 72. rationem perspicit, in sensu legis 31. hallucinatur, vult legem 31. hoc tantum dicere: *quod res etiam non extans debeatur, quem debitor primum par deinde sub conditione promisit, commissa mora ante stipulationem & conditione postea existente,*

§. XIV.

VIS NOVATIONIS.

Vis novationis perfectae se exserit tam in priori obligatione, quam in posteriori. Prior obligatio perimitur, quem novatio sit solutio quae-dam & quasi naturalis praestatio 4), qualis est, quem pro eo quod debetur aliud volenti creditori praestatur 5). Solvitur prior obligatio, quamvis ex re judicata sit enata 6). Solvuntur igitur & ea, quae priori obligationi accesserunt, pignora, fidejussores, usurae, poenae stipulationi adiectae, mora, privilegia; sed si pignus fuerit in novatione repetitum, durat cum praerogativa temporis 8), quac repetitio etiam facta videtur in casu l. ult. D. de minor. proposito, vel ibi abusive dicitur pignus manere obligatum, quia restituto minore in pristinum reddit statum. Ceterum

1) Id. n. 10. 2) Observ. lib. 25. c. 17. 3) exercit. ad Pand. 48. §. 34. 4) l. 8. §. 3. ad SCt. Vell. 5) l. 17. C. de solut. 6) l. 2. C. de execut. rei judic. 7) l. 29, 15, 18. D. de nov. 8) l. 4. C. de fidejuss. l. 11. §. 1. D. de pign. act.



terum si quis solum vetus chirographum renovaverit, quia illa non est
vera novatio, licet in sensu grammatico in l. 57. D. de admin. & per. tut.
novatio dicatur, poterit creditor ex veteri chirographo agere, et si ex no-
vo jam tunc actionem moverit, nisi in traditione novae cautionis prius
instrumentum animo novandi simul fuerit restitutum aut laceratum 1),
quo casu perit protopráxia. At novatio necessaria non tollit jus, quod
antea competebat, prioritatis ut si item contestetur, nil caussae subest cur
praerogativa mea excidere debeam 2). Quod ad vim posterioris obli-
gationis attinet, ea prout civilis est vel naturalis modo actionem, modo
exceptionem parit. Sed haec pro instituti nostri ratione sufficiant.

1) LEYSER spec. 526, med. 7. 8. 9. 2) l. 3. D. qui pot. in
pign.



Erfurt, Diss., 1770-73



f

Sb.

W 18



Rec XII. n. 20.

10

1771, 2

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
NOVATIONIBUS.

QUAM
IUVANTE DEO OPT. MAX.
EX DECRETO ET AUCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
IN ALMA ET PERANTIQU
ERFURTensi, NUNC
SINE
PRO GRAD
EIQUE ANNEXIS PR
RITE
D. IX. SEPT
IN AUDITORIO
AN
PUBLICAE ER
A U
LUDOVIC
ASCHAFFENBU
ERFORDIAE, AERE HE

